



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Augusti Buchneri Orationes Panegyricæ**

**Buchner, August**

**Cliviæ, [1668]**

XIX. In fun. Mariæ Selfischæ, D. VVolfgangi Schalleri, Medicinæ Prof.  
Publ. Coniugis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69483](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69483)

tissima, iterum atque iterum, & æternùm vale: nos Te, quo Deus & natura permiserit ordine, omnes sequemur. Vobis autem, quod superest, **RECTOR MAGNIFICE**, cæterique ordinum omnium lectissimi Viri, **Wilhelmus Lyserus**, quem desideratissimæ Conjugis obitu consternatum mirificè concussumque cernitis summas agit haberque gratias, quòd tantâ frequentia uxoris exequias celebrare voluistis. Quod uti magnæ solatio ipsi ac levamento fuit; ita vicissim diligentissimam navabit operam, ut omnia quoad poterit, vobis humanitatis studia atque officia semper exhibeat,

---

ORATIO DECIMA NONA.

IN FVNERE

**MARIÆ SEELFISCHIÆ,**  
**D. Wolfgangi Schalleri Medicinæ Prof.**  
**Publ. Conjugis.**

**S**I quis in hac illustri corona est, qui super laudibus Clarissimæ foeminæ, cui modò funus fecimus, ornatam prolixamque à me orationem exspectet, is ut ejus rei mihi gratiam faciat, vehementer oro. Ut quid enim in afferendo illius decore sudandum mihi anxie sit, quam nemo ullus hæctenus vituperavit? Quod nescio sanè, an non super omnes, ut sic dicam, coronas laudum, super universa encomiorum ornamenta longè ponendum sit. Atque ut id quam maximè vellem aggredi, verendum tamen esset, ne, commemorando defunctæ laudes, infelicissimi vidui desiderium magis accenderem, & immedicabilis vulneris dolorem exacerbarem.

Præ-

Præterea quum jamdudum de vita ejus alibi expositum sit, ingratum id omne fuerit, quicquid ejus rei amplius in medium produceretur. Itaque ne aut splendidissimo huic molestus cœtui, aut in afflictissimum viduum crudelis essem, etiam atque etiam mihi cavendum fuit. Quum itaque debita justorum solennia, sui exequiarum honores MARIE nostræ ritè persoluti sint, ei que Vos rei, non sine clarissimo interni affectus & Christianæ condolentiæ documento tam frequenter interfueritis, vestrum officium potius, vestram pietatem, EXEQUI-ATORES, deprædicare convenit, quàm decantandis mortuæ laudibus ulteriorem operam navare. Etenim quamvis hoc totum negotium funebre, aut persanare altissimi plagam vulneris, aut sortem inexplicabilis damni reparare minimè queat: negari tamen non potest, lenius mordere luctum & lacrimas, quas consimili dolore alii humaniter frequentant. Quod quum & in præfenti quoque, tum afflictissimus viduus, tum cæteri, ad quos hoc funus jure sanguinis pertinet, non leviter certè sentiant, quanto officio vobis obstricti sint, vident quidem, cæterum, quas gratias referre habeant, invenire vix possunt. Quod si tamen illis aliqua offeretur occasio, quâ sese hoc exsolvere posse debito intelligent, nã illam gratanter arripiant, suoque officio minimè omnium deerunt. Id quod universis & singulis, me quidem sponsore atque interprete, sanctissimè promittunt ac pollicentur.